



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 14. Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Ex Veteri. Ex Novo, Patribus, & aliis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Ne forte dicatur &c. Judic. 9. 54. Abimelech, qui tota vitâ gloriam regni qualierat, iuste in gloriâ morte punitus est; occisus à femina. Iuste lapide percussus interiit, qui super lapidem septuaginta fratres occiderat, v. 56.

Tulit gladium ejus & interfecit eum. 1. Reg. 17. 51. Gladiò suò Goliath à David est interfectus. *Uriam Hethæum percussisti gladiò: quàm obrem non recedet gladius de domo tua.* 2. Reg. 12. 9. 10. Ubi S. Chrysoft. in Pl. 3. non aliunde, non foris; sed ex domo tua. Unde est fons peccati, illinc est plaga supplicii.

Hæc dicit Dominus: occidisti insuper & possedisti - in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 3. Reg. 21. 19.

Eodem ense, quò Holofernes volebat Hebræos interficere, caput ejus abscissum est, Judith. 13. 8.

In eadem furca, quâ volebat Aman Mardochæum suspensum, ipse pependit. Ethh. 7. 10.

Lacum aperuit, & effudit eum: & incidit in foveam, quam fecit. Pl. 7. 16.

Infixa sunt gentes in interitu, quem fecerunt. In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Pl. 9. 16.

Gladius eorum intret in corda ipsorum; & arcus eorum confringatur. Pl. 36. 15.

Iustus de angustia liberatus est, & tradetur impius pro eo. Prov. 11. 8. Hebr. *veniet impius pro eo.* q. d. Deus iustum sæpe liberat à malo, quod illi impius struit: facitq; ut impius poenam talionis luat; ac in malum, quod iusto struxit, incurrat. Cornelius hic. Sept. *Iustus à venatione liberatus est; pro eo autem tradetur iniquus.*

Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui volvit lapidem, revertetur ad eum. Prov. 26. 27.

Viros illos, qui miserant Sadrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis. Dan. 3. 22. Fornax, quæ puerorum putabatur supplicium, fuit ministrorum incendium, Naxera in Jos. 8. 5. 19.

Sicut fecisti, fiet tibi. Abdias v. 15. Sicut tû Idumæa afflixisti Judæos, ita affligeris, & vastaberis tu à Chaldæis, Cornelius hic.

Ex Novo.

Venisti huc ante Tempus torquere nos. Matth. 8. 29. Injustè quis queritur de illata sibi poena illa, quam ipse alteri dat. Nihil novit diabolus loqui, nisi injustitiam. Ecce ipse ante tempus sepelivit hominem, illum vivum tradens sepulchro; & tamen queritur de Christo, quod ante tempus adveniat puniturus. Bæza t. 2. l. 7. c. 2. hic.

Tradidit eum tortoribus. Matth. 18. 34. *Tenens suffocabat eum* (conservum) v. 28.

Omnes, qui acceperint gladium, gladiò peribunt. Matth. 26. 52.

Iustum est apud Deum, retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant. 2. Thess. 1. 16.

Qui in captivitate duxerit, in captivitate vadet: qui in gladiò occiderit, oportet eum gladiò occidî. Apocal. 13. 10.

In poculo, quo miscuit, misceto illi duplum. Apoc. 18. 6. Quò meretrix scyphò miscet fœces idololatriæ ad perendum homines, venenum bibit. Velloso in Judith, 5. Paræn. 26.

Ex Patribus, & aliis.

Nihil amarius, quàm idipsum pati, quod feceris aliis. Tertull. 1. 2. adv. Marcion.

Consumuntur fame. Deut. 32. 24. videlicet in die solenni Paschæ Jerosolymis congregati; quos tricies centena millia Josephus dicit fuisse. Scilicet iustò Dei judiciò, tempus hóc ultionis electò: ut, qui in diebus Paschæ Salvatorem suum D. J. C. cruentis manibus violaverant, in ipsis diebus, velut in unum carcerem, omnis multitudo conclusa, feralis poenæ exitium, quod merebatur, exciperet. S. Rupertus Abb. 1. 2. c. 7. in Deut. 32.

§. XIV.

Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur. Sap. 11. 17.

Ex Veteri.

Versa est in statuam salis. Gen. 19. 26. Abulensis hic: quare versa sit in statuam salis, dicunt Judæi, causam esse: quia præcedenti nocte in sale peccaverat: quia Loth petente salem ad condiendum epulas hospitiû, non dedit: ipsa enim hospitalitatem non diligebat. Paoletti D. 21. Pent.

Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum &c. Ex. 9. 8. Alphonfus Toftatus: assumptus fuit ignis de camino; ad significandum causam, ex qua illa plaga infligebatur. Erat enim hujusmodi plaga in elemento ignis; cum ipsi cineres de igne sumpti essent: ad correspondentiam afflictionis Hebræorum in decoctione laterum, Did. Nils. Phœn. Græc. 1. 1. c. 6.

Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant in censum. Num. 16. 35. Igne pereunt, qui ab arâ ignem excipiunt; ut thure incensò Pontificatum rapiant. Velloso in Judith, 5. 13; Paræn. 26.

Offerentes coram Domino ignem alienum. Levit. 10. 1. Erat in atrio tabernaculi, putà in altari holocaustorum, ignis facerè cœlo lapsus, quem Deus jusserat foveri; ut eò solò uterentur ad sacrificia, & thymiamata. Vide præcedens c. v. 24. Erat in eodem atrio ignis profanus, & communis, quò utebantur ad coquendas carnes hostiæ pacificæ, & hostiæ pro peccatò; quibus vescebantur in atrio partim Sacerdotes, partim Laici offerentes. Hóc usi Nadab, & Abiu. *Egressusq; ignis à Domino devoravit eos; & mortui sunt coram Domino* v. 2. Iuste puniuntur igne, qui igne peccaverant, Cornelius hic.

Eraverunt oculos ejus. Judic. 16. 21. Congruâ poenâ Samson privatur oculis: quia eis lascivè aspexerat, & concupierat Dalilam; quæ proinde iustò Dei judiciò ejus captivitatis, & cæcità

Cœcitatibus, causa fuit. S. Gregorius mor. l. 7. c. 13. plerumque prius oculus contemplationis amittitur; & post, per carnis desideria, hujus Mundi laboribus animus subjugatur; prout testatur Samson ab Allophyla captus: qui, postquam oculos perdidit, ad molam deputatus est Cornelius hic. Quarit Abulensis, cur visum illi ademerint? Respondet: quia Samson parentibus dixit, certum sibi esse de alienigena: *hanc mihi accipe; quia placuit oculis meis*, Judic. 14. 3.

Et nati sunt mures. 1. Reg. 5. 6. Cur Azotii per mures à Deo puniuntur? quia mures tanquam Deos adorabant, ut Cyrillus Alex. Clemens Alex. August. testantur. Mendoza hic.

Adhæsit caput ejus quercui. 2. Reg. 18. 9. Capillis appensus male perit Absolon; quibus gloriam captasse, & lucrum, visus est. 2. Reg. 14. 26. Drogo Ost. tr. de Pass. crines suos ponderabat ducentis siclis; unde eodem crine suspensus ad arborem interit. Velloso in Judith 3. Paræn. 26.

Ubi Salomon tria idola coluit, statim tres hostes acerrimos, Adad, Razon, & Jeroboam, expertus est, 3. Reg. 11. 5. 26.

Ex Novo, Patribus, & aliis.

Ejicientur in tenebras exteriores. Matth. 8. 12. Quia multi in tenebris scedissima perpe- trant, torquentur tenebris, quibus fervierunt ad spurcas delicias, Paoletti. D. 25. Pent.

Ligatis manibus ac pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores. Matth. 22. 13. Ligate pedes illius confidenter intrantis; ligate & manus ipsius, quæ splendore illum nescierunt ornare vestitu. Vides, quid tum illi acciderit? cave ergo tibi. S. Cyrill. Jerof. in præfat.

Erat Jesus ejiciens demonium; & illud erat mutum. Luc. 11. 14. Multorum opinio habet, miserum hunc hominem Deum injurium fuisse; & linguâ, per verba otiosa; & oculis, per illicitorum visum; & auditu, auscultando, quæ proximo perniciosa. Ut intelligat peccator, quomodo justitia divina iisdem rebus utitur ad vindictam, quibus ille abusus fuit ad offensam. Did. Niff. D. 3. Quadr. 5. 1.

Ut refrigeret linguam meam; quia cruciatur in hac flamma. Luc. 24. Quare plus cruciatur in lingua, quam in reliquo corpore? sciendum est, quia solet in conviviis loquacitas abundare; Et quia iste dives splendide epulabatur quotidie; superflua idem verba; & inania, loquebatur; ubicunque enim plus peccavit, ibi plus cruciatur. Haymo Ep. hom. D. 1. post. Trinit. Cruciatur dives iste in lingua; scilicet pro loquacitate: quia in mensa loquacitati operam dedit. Hugo Card. hic.

Quia plus linguâ suâ, & ore, peccaverat. S. Cyprianus l. 1. ep. 3.

§. XV.

Pœna juxta mensuram, & qualitatem peccati.

In dolore paries filios. Gen. 3. 16. Tu, cum fructu interdicto te non abstinueris, fructu uteri tui miserè torqueris. S. Basil. Seleuc. Apud Did. Niff. Phtzn. Græc. l. 1. c. 6.

Multiplicabo arummas tuas. Gen. 3. 16. Hæc pœna Evæ triplex; totidem illa noxas commisit. 1. Serpenti potius, quam Deo, credidit. *non morieris.* 2. Legem esu fructus à Deo vetiti violavit. 3. Maritum in idem scelus traxit. Ita Rupert. l. 3. in Gen.

In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Gen. 3. 19. S. Thom. Aqu. hic: ista pœna sibi optimè competit: quia de ligno vetito gustavit deliciose, ideo debet vivere laboriose.

Extendam super Jerusalem suniculum Samariae, & pondus domus Achab. 4. Reg. 21. 13. S. Chrysof. in PL. 95. neque enim mensurâ caret divina vindicta; sicut Salvator loquitur. Matth. 7. 2. *in qua mensura mensi fueritis, remerietur vobis.*

Potentes potenter tormenta patientur. Sap. 6. 7. Nam quânto magis aliquid suo contrario resistit, eò postea, si superetur, operatio contrarii sui, quod vicit, est efficacior. Magis resistit ignis ferro, quam ligno: sed cum ignis vincat utrumque, intensior est calor ferri, quam ligni. Stella de cont. Mundi van. c. 99.

Sume calicem vini furoris hujus. Jer. 25. 15. In calice signat pœnam, quam Dominus propinavit Judæis, secundum mensuram culpæ. Hugo Card.

Cogitavit Dominus dissipare murum. Thren. 2. 8. Hæc Deo mens. Jerosolymam evertere funditus. Quid inde? *et extendit suniculum suum.* S. Paschal. quatenus secundum delictorum mensuram pœna procederet ultionis. Metitur portiones, & pilulas ponderat, Medicus: sic Deus, cum punit, pœnas ex dimensio propinat. Velloso in Judith 7. Paræn. 9.

Numeravit Deus regnum tuum - appensus es in latera. Dan. 5. 26. Rupertus de vich. V. D. c. 3. sicut omnia in mensura, & numero, & pondere, posuit. Sap. 11. 21. Sic & regnum illud numeravit S. Chrysof. in PL. 95. cum punit, in trutinâ librat ultionem; pro delictorum modo vicem rependens; nè major, sed congrua sit, commissis.

Nota: quod sicut tria sunt peccata generalia, quæ regnant in Mundo; ita sunt tres punitiones: scilicet guerra contra superbiam; sterilitas, & fames, contra avaritiam; pestilentia contra luxuriam. S. Bernardinus tom. 4. l. 14.

§. XVI.

Pœna, lenta, dilata.

Factum est omne tempus, quod vixit Adam, anni nonaginti triginta; & mortuus est. Gen. 5. 5. Primò die, quò ex ligno vetito comedit, mortem meruit; quam tamen non incurrit, nisi post 930. annos. Mendoza in 1. Reg. 15. 2.

Non permanebit spiritus meus in homine - eruntque dies illius centum viginti annorum. Gen. 6. 3. Mundus cum primùm corripit viam suam, meritis est diluvis involvi; quæ tamen ultio non statim infertur; sed ad annos centum viginti differenda pronuntiatur. Mendoza in 1. Reg. 15. 2.

Aaron colligetur, & morietur ibi. Num. 20. 26. Aaron primò anno peregrinationis in deserto culpam contraxit, permittendo vitulum conlari in idolum. Ex. 32. 2. nec tamen;